

Nieburg attulit, tradita sunt Ascanio Professoři Hafniensi, ubi delitescant diu et bene, forte numquam proditura.

Nihil novi in hisce terris, ubi procellae, nives et frigora certant.

Vive diu felix, in ornamentum artis pulcherrimae.

Upsaliae, 1768. Mart. 20.

39.

Viro amplissimo DD. Nic. Jacquinio s. Car. v. Linné.

Devotissima reddo pro prompto responso ad meas. Nihil mihi magis in votis esset quam, quod *Loasae* semina germinarent.

Prodigiosa profecto planta est *Cleome gigantea* Tua, quam non satis possum admirari.

Umbellata ista est omnino *Cachrys*, sed quaenam species dicere non possum absque foliis, si sit e Sibiria forte erit Tartaria magna Joh. Bauh.

De *Anastatica syriaca* nihil regerere possum, cum plantam ipse siccam non possideo, sed vidi in alius herbario. in *Herbario Gronovii*.

Ramum quem mittebas  fructibus Bursae pasto-

ris aristatis est *Ceratocarpus* meus.

Semina *Cleome giganteae* non accepi, si habeas millies oro mittas, et semina *Loasae*, de qua die nocteque cogito, si poteris ulla ratione obtinere.

Est in hac urbe Chemiae adjunctus *Tidstroem*, qui plures legit lapides in solo natali, quam ullus in tota Suecia, cum misi per totum regnum ad colligendum Lapidem pro S. Regina et pro Comite Tessin, possidet etiam ipse plures Lapidem quam ullus alius. ille solus in hac patria potest la-